DE
ABSCESSIBUS METASTATICIS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILELMA

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE OBTINENDIS

DIE III. M. MARTII A. MDCCCXXXIV.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENSURUS EST

AUCTOR

CAROLUS GODOFRED. SADOWSKI

BORUSSUS.

OPPONENTIBUS:

MICHAELIS, MED. ET CHIR. DR., MED. AULICO,
PUELLENBERG, MED. ET CHIR. DR.,
SCHLICKEYSEN, MED. ET CHIR. DR.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

Sed etiam juveni interdum contingit, ut felix quaedam occasio ei detur, de re aliqua nonnullas observationes deprehendendi. Quodsi apud auctores peritos similes notatas atque confirmatas invenerit, tunc ei liceat, observationes suas comparando cum illis clariores reddere indeque augmentum cognitionis suae capere. Quum de abscessibus metastaticis talis occasio mihi obvenerit, ad hocce specimen inaugurale ex more vetusto publice edendum, ea uti mihi proposui. Convocatis igitur auctorum nonnullorum observationibus eorumque opinionibus de istiusmodi abscessibus et de metastasi generatim, id operis tantum peregi, ut perpaucas de meo studio adjiceremet argu mentatione quadam cum illis conjungere studerem. Quae igitur, qualia sint, pro experientia tironis benevole excipiantur. Quodsi vero haec, quae convictus multorum medicorum observationibus hic profero, visum quasi alienum haberent, nullam tamen a me controversiam cieri spero, quippe qui perpaucos tantum amicos et rei medicae cognatos inscios his primitiis lectores fore credam.

Antiquissimi aevi jam medicos non fugit, post plagas graves, artuum amputationes, ossium fracturas nec non post partum pus vel puri simillimum laticem in quacunque corporis parte, a loco affecto plus minus remota, prae ceteris in extremis, citra causam luculenter conspicuam ex improviso quandoque colligi; quam puris collectionem exsiccationi vulneris, pus emittentis, vel suppressioni cujusdam secretionis junctam incedere, experientia itidem eos docuit. Nil mirum igitur, si ad explicandas hujusmodi puris collectiones ad metastasin puris, utpote notionibus eorum pathologicis maxime consónam, quocunque demum modo ea contigerit, derepente confugere eos videmus.

Absorptionem igitur et transmigrationem puris vel secreti cujusdam normalis ad alium locum in abscessuum illorum genesi accusabant, quare metastaticorum abscessuum nomine illa apostemata secundaria insignire

iis placuit. — At praeteriit eos, ejusmodi puris collectiones haud semper laesiones gravissimas, neque secretione puris in hisce penitus sublata, sed et levissimas laesiones nec non vulnera, ceteroquin egregie pus secernentia, dummodo venae simul tactae fuerint, excipere posse, quae quidem observatio medicum practicum paulo accuratius in aegrorum conditiones inquirentem fugere haud potest. Hac praecipue observatione ducti, medici abscessus metastaticos quos vocant novo examini subjicere haud alienum putaverunt, nec a recta via discesserunt, imprimis Angli et Francogalli, qui disquisitionibus anatomicis circa abscessuum metastaticorum indolem et perscrutationibus diligentioribus circa conditiones, quibus illi in lucem procedere consuescunt, haud parum ad dispergendas tenebras, quibus detenta abscessuum metastaticorum genesis latebat, contribuerunt.

LITERATURA.

I. Fr. Erdmann. Annales scholae medicae Dorpatensis. 1818, 19, 20.

Alf. Arm. L. M. Velpeau. Thèse sur quelques propositions de médecine. Paris 1823.

Cruveilher. Anat. pathol. du corps humain. Fasc. No. II.

Dance. De la phlébite utérine et de la phlébite en gé-

néral, considérées principalement sous les rapports de leurs causes et de leurs complications. Archiv de médecine. 1828—1829. T. XVIII et XIX.

..d. Danvin. Observations et propositions sur quelques accidens très communs à la suite des suppurations aigues. Paris 1831. 4.

.., Arnott. Pathological inquiry into the secondary effects of inflammation of the veins. Medico-chirurg. transact. T. XV. Octb. 1828.

Scripserunt hac de re etiam I. L. Petit, Puzos, Re-..aud, Levret, Andral, Littre, Fallot, Nichet, ..landin, J. F. A. Marechal, Louis, Diard, Deleu-..ye, Andrée, Quesnay, I. Hunter, Paletta, Sasse, ..erendt, Puchelt, Meckel, Lentin, cet.

Jam primum de iis, quae ex disquisitionibus ..natomicis circa abscessuum metastaticorum indolem ..iquent, verba faciam, dein ea, quae ex observatio..ibus circa conditiones, quibus apostemata illa origi..em debent, nobis redundant, proferam; quibus dis..uisitionibus tandem tentamen pathogenesis super..truere haud absonum puto. Denique, quae thera..ia medicamina ad avertenda damna inde profici..centia nobis suppeditet, succincte adnectere, est in animo.

Ex anatomicis perscrutationibus nostri aevi me..dicorum contestatur, abscessus metastaticos non so-

lum extremas corporis partes prae ceteris petere, sed pariter, immo saepius in visceribus, scilicet in pulmonibus, hepate, cerebro, renibus, corde, liene libenter considere, tum etiam in externis partibus, ut in tela cellulosa, inter fibras musculorum, circa articulos vel penitus in substantia eorum collocari. At fere omnia, quae de iis cognita sunt, sectiones tantum demonstraverunt, quod repente et sine indiciis oriuntur atque decursum habent velocem ac latentem. Quodsi interdum animadversi sunt, tum inter evolutionem eorum aeger in gravibus affectibus febrilibus versabatur: horrores enim, circuitus quosdam observantes, quasi febrem intermittentem simulabant. Praeterea deliriis, stupore, virium prostratione et apathia aegrotans corripiebatur. Post laesiones primarias inter decimum et decimum secundum diem subsequi solent, et tum maxime quidem, quum eo usque aegrotus pervenisse videretur, ut eum valetudini secundae paene redditum crederemus.

Forma eorum in genere nucleis suppuratoriis maxime similis est vel punctis, quibus suppuratio incipere solet. Circa eas viscerum partes, quibus sedem habent, primo intuitu nihil fere mutatum apparet. Id maxime commoverat, materia purulenta ibi reperta ut pro ea haberetur, ac si ab aliis et valde

remotis partibus translata fuisset. Ex quo illa metastaseos notio conformata est. Atqui scrutatio acrior, praesertim in defunctis instituta, observatoribus illis venas vel extrema vasa sanguifera inflammatione correpta patefecit. Viderunt enim in pulmonibus, musculis, in corde, hepate, contextu celluloso, ramulorum sanguiferorum parietes inflammatos et alienatos, versus nucleos illos purulentos vascula confluere, uti in inflammatione fieri solet, tum etiam repletos pure et sanguine compacto. J. Hunter iam commemorat, se eadem in pulmonibus circa abscessus invenisse. Interdum etiam observatum est in pulmonibus, ad majores venarum ramos usque inflammationem propagatam fuisse. Itaque Cruveilher, non solum his fretus observationibus, sed posteaquam ipse plurimas denuo instituerat, omnes abscessus metastaticos novo examini subjecit et ad unam causam communem, scilicet ad inflammationem venarum capillarium (phlebites capillaires) reducere studuit.

Deinde nuclei vel puncta illa suppurantia celeriter increscunt et emollescunt, ab imo centro incipientes; demum vero in materiam purulentam vertuntur, pariter ac in aliis abscessibus ad maturitatem perductis id evenit. Omnium abscessuum metastaticorum pus, ex quolibet organo deprompseris, eandem

speciem prae se fert. Primum est materia rubicunda, saniosa, tamquam e sanguine et pure composita. Hanc ob rem puncta, ex quibus abscessus incipiunt, coloris sunt nigricantis, qualia in pulmonibus saepissime occurrerunt, et indurationibus uti dicam apoplecticis, haemoptysin interdum sequentibus, similia. Brevi deinde tempore haec materies ad eum colorem et naturam pervenit, ut pus ex inflammatione vera et topica profectum quam maxime adaequet. Sed etiam partes proxime adjacentes clarissima inflammationis signa prae se ferre visae sunt; ab iis inde inflammatio ad puncta suppuratoria prorepsit.

Proximum est, ut de sedibus abscessuum metastaticorum dicam vel de visceribus et aliis organis, quibus inveniuntur. Habent enim et pro sede nonnulla, quae omnibus communia sunt, sive hoc sive illud organon tenent. Imprimis vero viscera sibi eligunt et ea quidem maxime, quae plurimis vasis sanguiferis instructa sunt. Copiam vasorum ita observant, ut plane ordini obtemperent, qui observationibus sic comprobatus est: primum pulmones, lien, hepar, cerebrum, cor et renes, tum partes exteriores, musculi, contextus cellulosus, articuli, prout vasis abundent, magis magisque petuntur. Quodsi in visceribus haerent, eas iterum partes ceteris praeferunt,

:ae pro minimo volumine plurimis vasis sangui-
ris gaudent, igitur basin pulmonum, cerebri et he-
ttis superficiem. Si duplex in corpore organon
istit, quod majoris voluminis est, alteri praefertur;
ique dexter pulmo antecedit sinistrum minorem.
artibus si inaequabiliter, quoad vasa, instructis or-
non constat, ad quam plurima vasa tendunt, eadem
rs numerosissimis abscessibus repleta invenitur;
iare in cerebro substantia cinerea albam abscessuum
imero superat. Ceterum viscerum superficies iis
agis arridet, quam strata parenchymatis subtus po-
ta. Quam ob rem saepe eos conspicere licet, an-
quam substantiam incideris. Ex quo existit et il-
d, ut propter affinem in superficie situm membra-
ae, viscera involventes, inflammationem percipiant et
x contiguitate pleuresia, nonnunquam etiam perito-
itis et arachnitis excitentur.

Quod de ingenti abscessuum numero dicendum,
eritatis limites paene excedere videtur. Raro unus
intum vel nonnulli occurrunt, saepe viginti, quin-
uaginta, centum et quod multo excedit. Etenim
bservatores nonnulli abscessus fere innumerabiles
uum in superficie tum in intimis organis se invenisse
onfirmant. Praecipue in pulmonibus, hepate, et ce-
ebro tam numerosi obveniunt, ut ex maxima parte

substantia eorum abscessibus repleta vel in eos conversa appareat.

Expositis illis, quae ad abscessus metastaticos generatim spectant, jam de singulis tractandum est, quomodo in organo quolibet sese habeant.

1) Qui in pulmonibus occurrunt, sunt forma magis stabili et tamquam normali, cui ceteri praesertim quod copiam eorum attinet, adstringi possunt. Quod nonnunquam formam nuclei duri et circumscripti adaequant, per longum tempus pro tuberculis habebantur. Hac enim sententia adducti, Monteggia et praecipue Velpeau, qui plures de iis monographias edidit, nomine abscessuum tuberculosorum eos notarunt. Neque vero Blandin et Marechal in dissertationibus inauguralibus de hac re scriptis ingenia sua felicius collocaverunt. Nullus eorum enim ad laesiones primarias respexit. Atqui magnum discrimen tuberculos et abscessus metastaticos intercedit, quod posthaec magis elucebit. Non solum structura differunt, sed etiam in conformatione aliter procedunt, quippe quum abscessus metastatici maxime a basi pulmonum crescere incipiant, tuberculi vero ex apice primam originem ducant. Ceterum eum in pulmonibus decursus et evolutionis ordinem abscessus metastatici observant, ut recentiores

minores et coloris fusci aut nigricantis, magis in partibus superioribus sedem habeant; qui autem ad majorem maturitatem provecti sunt, quippe quam ex albo colore probare liceat, inferiores partes occupent. Inter causas laesiones illae primariae, de quibus initio commemoravimus, ponendae sunt. Has sine ratione subsequi solent, quamlibet corporis partem afficiant.

2) Abscessus metastatici in hepate multorum nostri aevi auctorum, imprimis chirurgorum studium excitarunt. Varia inde hypothetica de causis fluxerunt, praesertim quum capitis laesiones abscessus sequuti essent. Namque ad hepar suppurationem metastaticam saepissime tendere, persuasum sibi habuerunt; quod vero alii observatores negant. Abscessus metastatici maxime hepatis superficiem occupant, neque tamen in ea prominent et tubera formant, ac in pulmonibus. Licet vero magis a superficie recedant, tamen ob colorem albidum et ab hepate fusco tam discrepantem prius in conspectum veniunt. Minoris momenti sunt quam in pulmonibus. Deinde quod hepar peculiari involucro arctius obducitur et hoc modo ad inflammationem limitandam magis idoneum est, non tam cito ad membranas proxime adjacentes et contiguas inflammatio perducitur, quam in pulmo-

nibus. Ex peculiari hepatis involucro sequitur et id, abscessus ita coërceri, ne transgrediantur nec promineant, uti in pulmonibus id evenit, quanquam in superficie collocati sint. — Forma sunt minus terete sed magis irregulari, nec tuberculis similes sunt; quod forsan hepatis structurae minus cellulosae tribuendum est. Interdum evenit, ut confluant, multaque inde et diffusa suppuratio oriatur. Sequuntur saepe operationes chirurgicas circa anum, fracturas comminutas extremitatum inferiorum et capitis. Constat etiam observationibus, eodem tempore pulmones quoque abscessibus occupari.

3) Lienis abscessus non tam peculiaris indolis sunt. Quod ex iis secernitur, non solum pus est, sed ex sanguine et pure commixtum esse videtur. Etenim color vel ex rubescente, vel ex nigricante vel tandem ex fuscescente albidus pro hac compositione pugnat. Praeterea non omittendum est, cellulosum lienis contextum valde fragilem esse indeque fieri posse, ut circa abscessus rumpat et ita sanguis effusus cum pure misceatur. Ex varia igitur structura, maxima differentia inter lienis, hepatis et pulmonum abscessus proficiscitur. Eadem porro ratione probatur, loca suppurantia irregulariter expandi atque interdum confluere posse, uti in nonnullis casibus ob-

servatum est. Hanc ob causam non tam numerosi visi sunt, quam in hepate. Quum vero lien abscessibus occupatur, saepe et pulmones ab iisdem teneri constat.

4) Abscessus cerebri a prioribus forma magis recedunt. Non enim tuberculis similes sunt, sed guttulas purulentas constituunt. Cerebri compages mollis ac tenera eos non impedit, quin per totam cerebri substantiam diffundantur. Substantiam cineream maxime eligunt eamque ad intimas usque partes persequuntur. Thalami nervorum opticorum et corpora striata hanc ob rem potissimum infestantur. Cerebrum ac cerebellum simul obsidere solent, ea tamen ratione, ut pro minori massa cerebellum minorem eorum copiam contineat. De medulla oblongata nulla adhuc observatio nota est, quae abscessibus eam obnoxiam invenisset. Ex paucis tantum observationibus hausta sunt, quae de abscessibus metastaticis in cerebro et cerebello comperta habemus. Quae omnes in eo conveniunt, laesiones extremitatum inferiorum et infimi trunci praecessisse. Multa de his abscessibus caligine adhuc obtecta sunt. Attamen jam eorum ope, quae pertractavimus, argumentari licebit, post laesiones superiorum corporis partium abscessus in inferioribus oriri et vice versa superio-

res partes iis affici, quum extremitates inferiores primarie laesae fuerint. Itaque a laesionibus capitis abscessus in hepate excipiebantur.

5) In corde raro tantum abscessus observatoribus obvenerunt. Ortum eorum plerumque iidem affectus concomitati sunt. Quoad formam, illis in cerebro descriptis maxime similes sunt; sunt enim parvi et quasi puncta purulenta et collocata intus in musculari cordis substantia. Ut ibi locum obtineant, fibrae musculares diducuntur. Numerus eorum valde variat. Dance hic unum tantum invenit, tam multos illic, ut unoquoque transverso cultri tractu senos etiam octonos in lucem proferret. Saepenumero ventriculos cordis una et auriculam occupant, tumque vel trabeculas carneas vel parietes cordis excavant; magis vero interiorem substantiam tenent. Superficiem cordis non excedunt, pariter ac de hepate monuimus, nec ibi manifeste eos conspicere licet. Saepe uno eodemque tempore cor et cerebrum abscessibus infestabantur.

6) Quum de renum abscessibus agendum sit, ad illa maxime respicere debemus, quae generatim de iis initio exposita sunt. Pauca tantum in abscessibus metastaticis renum habemus, quae ad peculiarem formam et indolem spectent. Cum abscessibus

ordis multis rebus congruunt. Pariter ac illi inter
ariores existimandi sunt. Quodsi renes infestantur,
ubstantia corticalis prius afficitur; neutrum tamen
enem praeferunt. Denique et de renibus notandum
st, quod nonnunquam non soli laborare, sed in ce-
ebro etiam abscessus simul visi sunt.

7) Aliter demum in exterioribus corporis parti-
us, scilicet in articulis, musculis, contextu celluloso,
bscessus metastatici sese habent. Articulos magnos,
uales sunt coxae, genua, humeri et antibrachii, li-
entissime petunt, nihilominus tamen articuli mino-
es v. c. digitorum, mandibulae, symphysis ossium
ubis, claviculae affecti videbantur. Multis casibus
altem nonnulli articuli simul corripiuntur, atque hac
uidem ratione, ut paucorum dierum spatio interpo-
ito ad alterum articulum malum demum transeat
s vero transitus non pro migratione vel metastasi
heumatica habendus est, uti nonnulli auctores cre-
iderunt. — Quodsi articulus quis abscessibus obsi-
letur, tam celer et vehemens est processus suppura-
ionis, ut paucis diebus non solum cartilagines arti-
ulorum corrodantur, verum etiam membranae syno-
iales perforentur. Huic malo articuli ipsi non mi-
us sunt obnoxii, quam partes proximae adjacentes.
Nec vero semper fit, ut solum hac partes laborent,

sed etiam alia organa, antea enumerata, abscessibus simul corripiuntur. Partum saepissime subsequuntur, tum etiam amputationes, fracturas ossium et venae sectionem, nec non in decursu et sub finem variolarum excoluntur.

8) In contextu celluloso ubique enasci possunt, ea tamen ratione observata, ut praecipue ad partes a laesione primaria quodammodo remotas tendant. Aliis observationibus confirmatum quoque habemus, quodsi extremitas aliqua vulnerata sit, in altero latere corporis eandem extremitatem abscessibus occupari. In casibus nonnullis res ita se habuit, ut, quum laesa esset extremitas superior, abscessus in inferiore conspicerentur et sic etiam ratione inversa. Ad modum abscessuum, de quibus prius egimus, solent esse numerosi et per totum omnino corporis contextum cellulosum diffusi. Observavit Dance in aegro uno decem abscessus et multo quidem pure repletos. Forma sunt irregulari et statim ab initio fluctuatio puris in iis percipi potest. Partes telae cellulosae proxime circumjacentes, si eas obiter adspexeris, praeter halonem nigricantem et ekchymoseos visum habentem, qualem circa abscessus in pulmonibus descripsimus, nequaquam mutatae esse videntur, accuratior tamen scrutatio si instituitur, venas

bi rubentes, sanguineis coagulis oppletas et parietes arum tumefactos reperire licet. Haec inflammatio revi tempore a tela cellulosa excipitur.

9) Quum in musculis abscessus metastatici con-derint, ad formam magis rotundam, circumscriptam t abscessibus pulmonalibus similem explicabantur; nagis autem increscunt, quam illi, quippe qui nucis el ovi gallinacei magnitudinem interdum adaequent. oloris albidi sunt, quare initio a musculorum ru-ore valde discrepant, dummodo substantia eorum on mutata sit. At paullo post pus fibras musculo-um comedit. Hoc modo ex vero substantiae mu-cularis defectu foveae excavantur. Perinde ac in ela cellulosa probatum est, in musculis quoque ad bscessus venae inflammatae tendunt. Saepe musculi nagnum illorum numerum continent, interdum vero inguli unum vel duos tantum abscessus procreant. Iusculi extremitatum prae ceteris ingenti abscessuum opiae favent; musculi extremitatum inferiorum ma-is eis arrident quam superiorum. Prae omnibus emum musculi, qui suras constituunt, abscessuum stis obnoxii sunt. Exceptis musculis pectoralibus majoribus nullibi hucusque in ullo totius trunci mu-culo abscessus deprehensi sunt. Si musculos cum eteris organis externis conferimus, certe, quod ab-

scessuum copiam summatim attinet, musculi ab istis superantur. Saepe partum praegressum pro causa agnoscunt.

Haec sunt, quae de abscessibus singulorum organorum et viscerum collecta habuimus. Nunc vero de universis nonnulla adjicere, in colligenda et finienda argumentatione non solum de abscessibus metastaticis, sed etiam metastasi in genere magis proficiet, quamobrem initio detraximus et ad hunc usque locum reservavimus.

Etenim quolibet organo vel corporis parte abscessus metastatici haereant, magna inter eos similitudo valet: iisdem fere symptomatibus et simillima structura et indole notantur. Id quoque omnibus proprium est, ut rapidissimo decursu ad suppurationem perveniant, quum alioquin multo majus temporis spatium inflammatio requirat, usquedum pus gignatur. Quum pars, quae iis obsessa est, raro tantum calore, rubore et dolore inflammatorio infestetur, nulla omnino indicia offert, ex quibus cognoscerentur. In pluribus casibus tumores, pure repleti, quum in superficie promineant, tunc demum certam abscessuum notam offerunt. Jam J. L. Petit (Traité de malad. chirurgic. T. I. p. 10. ff.) valde conquestus est, se eandem indolem perniciosam

m iis animadvertisse. Vidit enim nonnunquam per unum diem sine ulla aegroti molestia excultos. Etsi quidem alii aegrotantes dolorem sensissent, tamen pro inflammationis signo non habendus ei videbatur, quod tumor, rubor et calor in loco affecto defuissent. Is signorum essentialium defectus abscessibus fere omnibus proprius est, sive in partibus exterioribus sive in visceribus consederint. Quodsi interdum dolores excitaverint, tum certe sedem externam habuerunt. Si cor, lien, renes hoc modo laborant, nullae prorsus certae dijudicandi et cognoscendi notae existunt. Pulsus arteriarum quanquam frequentes sunt, nihil tamen inde indicii fluit, cor affectum esse, quod saepe sanum est, gravissima febri dominante. Pariter delirium, abscessus cerebri comitans, nihilominus eos non indicat, quum permulti aegroti delirent, qui ab iis plane liberi sunt. De origine obscuro et decursu fallaci abscessuum, qui post capitis laesiones in hepate orti sunt, omnes auctores consentiunt. Interdum icterus subsequebatur, sed incertum signum est, nam saepe etiam deerat, quum hepar abscessibus repletum esset. Ceterum icterus verus non commutari debet cum colore flavo impuro, qui praesertim in aegrotis suppuratione metastatica laborantibus observatur; is color etiam animadvertitur, si ab-

scessus metastatici alias partes occupant. Dolorem hypochondrii dextri plures observasse contendunt; permultis tamen in casibus deest et tunc solummodo accedit, si abscessus commemorati in hepatis superficie locum tenent et inflammatio ex parenchymate hepatis ad finitimas membranas serosas pervenit. Ceteroquin observantibus saepenumero occurrit, ut vomitus abscessus illos comitaretur. In pulmonibus eadem incertitudo constat. Symptomata cum pneumoniae phaenomenis non concurrunt. Respiratio solummodo accelerata nec non impedita est. Spiritus ingentem foetorem offerunt, quam rem non solus Reynaud, sed omnes fere observatores animadverterunt. Pulmones interdum pus redolent. Nonnunquam etiam occurrit peculiaris siccitas, quae non tam affectorum pulmonum, sed febris vehementis effectus esse videtur. Percussio et auscultatio, si caute instituuntur, hic non magni momenti sunt. Puncta enim suppurantia in pulmonibus tam celeriter evolvuntur, ut observanti nullum indicium detur, cujus ope hunc morbum suspicetur. Plerisque in casibus magna pars telae cellulosae non corripitur, sed incolumis est, ita ut sonus e pectore et stridor respirationis non valde alienati percipiantur, iis casibus exceptis, quibus pleuresia secundaria adest. Ab-

cessus metastatici non in vesiculis pulmonalibus, sed multo magis in venis sedem tenent; quae res sectionibus demonstrata est. Hanc ob causam auscultatio harum proficit. Nam in viis respirationis earumque tenuissimis ramis stridor ille peculiaris efficitur. Attamen alia signa adsunt, quorum ope de praesentia et sede abscessuum certiores fieri possumus. Haec sunt praesertim initium morbi rapidum, tum incrementum symptomatum sine causis sufficientibus, tum etiam horror, qualis vulnera suppurantia ceteroquin sequitur. In partibus externis abscessus isti ex tumoribus telae cellulosae vel circa articulos positis, prius in conspectum veniunt. Namque et motum articulorum impediunt et musculos femoris vel surae coërcent. Saepe dolores acres nec tamen constantes excitant, pariter ac si partes internas e. c. pulmones, hepar teneant. Hic vero dolor tum maxime percipitur, quum propter contiguitatem et affinem situm pleura malum participet.

Quae omnia si concipiuntur, certe ab illis distant, quae de inflammatione ejusque effectibus ab auctoribus tradita valent. Quum enimvero omnes abscessus metastatici in tantis et tam multis rebus conveniant, quod nimirum ex eodem fonte oriuntur,

formam et indolem similem prae se ferunt, symptomatibus non differunt, quod multas partes simul corripiunt, denique quod pariter et citissime quidem decurrunt, pro hac sententia pugnare videntur, omnibus et singulis unam eandemque causam tribuendam esse. Observatores quum permultis in casibus post laesiones alicubi allatas abscessus eos in partibus valde remotis invenissent, neque tum inflammationis signa essentialia sentire potuissent, exinde concludendum existimarunt, pus ex loco primarie affecto seu re vera illuc transportatum seu alia quadam ratione advectum esse. Praeterea hanc sententiam confirmare videbantur exsiccatio vulneris et puris repentinus defectus, qui interdum in locis primarie laesis observabatur. Hae autem observationes indeque derivatae leges non satis illustrant, quo modo abscessus isti gignantur. Multo plures enim casus obstant, quibus nullum pus in vulnere aderat, quod resorberetur. His alii casus adnumerandi, ubi abscessus metastatici multo majorem copiam puris continebant, quam ut vulnus primarium, saepe quidem admodum exiguum, eam comparare posset. Nec omittendum est id, quod non post omne vulnus et unamquamque puris accumulationem absessus ejusmodi nascuntur, etiamsi

per longum tempus suppuratio commorata sit. Contra vero notatu dignissimum est, ad eas potissimum plagas abscessus accedere, quae venas jam notabilioris luminis tetigerint. Has vero ad resorbendum et propagandum pus minus aptas esse, quam ultimos venarum ramulos, facile quispiam intelliget.

Posita inflammatione venarum, quam permulti observatores, antea memorati, viderunt, jam manifestius eruitur, qua ratione pus oriatur quaque via translocetur Saepissime enim abscessibus metastaticis insequentibus venae circa vulnus primarium inflammatione corripiuntur et his ipsis pus non solum progignitur, sed etiam transducitur. Sic pus ad alia organa pervenit, neque tamen purum sed sanguine inquinatum et alienatum. Si sanguis hac ratione depravatus organa permeat, facile ibi inflammationem denuo efficit, quae potissimum ad partes vasis abundantes tendit. Itaque in parenchymate, quo vasa capillaria terminantur, ex inflammatione abscessus fiunt. At haec inflammatio non plane eadem est, ac phlebitis primaria. Inde porro tam magna abscessuum copia propullulari videtur, quod fermentum, ut ita dicam, et elementa eorum circulationis vi brevi tempore non solum multis organi par-

tibus, sed etiam pluribus corporis regionibus simul inferantur et hic pro incitamentis agant. Facile demum ex ea re permagna abscessuum similitudo, quolibet organo deprehendantur, erui potest, nec non velocitas eruptionis et decursus et puris conformatio celeris. Tandem quum pus, ut inflammationis effectus, prius jam paratum sit, quam ad sedem metastaticam pervenerit, hoc modo inflammationis processum contrahi et modificari, ideoque dolores exiguos tantum moveri, non plane ex devia argumentatione auctores proposuerunt, quippe quae nec anatomiae nec physiologiae praeceptis contradicant, tum quod observationibus numerosissimis probata sint. His igitur nixi plurimi auctorum memoratorum e. g. Petit, Dance constituerunt, abscessus metastaticos ea potissimum conditione progigni, ut venae circa locum primarie affectum sitae inflammatione corripiantur et pus sanguine commixtum ad alias corporis partes perducatur, ubi denuo pro causa inflammatoria agat. Sed etiam fieri potest, uti in variolis aliisque morbis miasmaticis, ut suppuratio metastatica sine phlebitide oriatur, neque tamen ea in pluribus organis tam aequabiliter dispartita sit, ac in illis. Exstant plures observationes sectionibus

confirmatae, quibus metastaticis parotidum malis similis causa vindicatur. Etenim ortus eorum repentinus et suppurationis formatio celeris abscessus metastaticos imitantur.

Ex methodis curandi et remediis, quae contra abscessus, siquidem eos detegere et dignoscere licuit, adhuc tentata sunt, perpauca tantum lux redundat, quod nondum satis explorata sunt. Enimvero curatio respicere debebit non solum causam, sed etiam sanguinem depravatum. Prophylactici igitur negotii erit, phlebitidem praevertere. Ubi pus jam adest, therapia rationalis plane deficit. Venae sectio larga et repetita saepe incassum adhibita est. Non minus sanguinis detractionem ii abhorrebant, qui abscessus istos pro tuberculis habebant. Novissimis temporibus unguentum hydrargyri et statim in primo horrore emetica in usum vocata sunt. In casibus duobus sic ea nonnihil profecisse, ut decursum videlicet moderarentur, comperimus. Proposita etiam sunt laxantia, sed magis theoretice, ut videtur, et ad naturae modum imitandum, quae in nonnullis casibus per copiosas alvi dejectiones et sudores foetidos quasi materias nocivas evacuasse credita est.

Haec therapeutica, quamquam non satis adhuc

probata et cognita, non omnino tamen mittenda sunt; rarissime enim aeger sine auxilio medici malum hoc superat. Res igitur gravissimi momenti est, quod persaepe accidit, ut aegroti ex operatione necessaria et salutari fere ad optimam valetudinis spem conditionemque perducti ex improviso abscessibus illis metastaticis pessumdentur.

VITAE CURRICULUM.

Ego Carolus Godofredus Sadowski, confessioni evangelicae addictus, Borussiae orientalis pago, Drygallen, praefecturae oppidi Johannisburg adscripto, anno millesimo octingentesimo quinto, mensis Septembris die XXI, a parentibus dilectissimis, patre Christiano Marco, quem novem ante annis jam defunctum doleo, et matre Anna Katharina, e gente Orzechowski, natus sum.

Literarum elementa institutionibus privatis a patre et fratribus aetate majoribus, quibus dilectissimis gaudeo duobus, edoctus sum. Annum undecimum agens, Lyceae gymnasio receptus, per annos sex et dimidium literarum incrementum curavi. Numero alumnorum instituti medico-chirurgici Friderico-Guilelmiani, quod Rex clementissimus Berolini collocavit, jam adscriptus, ob aetatem, quam leges prae-

scribunt, nondum repletam, studium literarum earum domi per annum continuabam.

Anno MDCCCXXII Berolinum me contuli. Hic gratia instituti illius, ad cineres usque colendi, ab omnibus opibus destituto, attamen artem medicam valde appetenti occasio mihi data est, quam gratissimo animo debeo, ut per quatuor annos has praelectiones et exercitationes practicas tractare potuerim.

Beat. Rudolphi audivi de encyclopaedia et methodologia, anatomia universa et organorum sensuum, physiologia nec non de historia entozoorum; Beat. Knape de osteologia, splanchnologia, syndesmologia, de arte formulas medicas concinnandi et de medicina forensi. Iidem praeceptores, quos rei medicae jam abreptos doleo, me etiam instituerunt in arte cadavera rite dissecandi. Docuerunt me Beat. Hermbstaedt, quem etiam praeceptorem inter mortuos aeque veneror, pharmaciam; Cel. Wolff logicen et psychologiam; Ill. Link historiam naturalem, botanicen, pharmacologiam et toxicologiam; Cel. Turte physicen, chemiam et pharmaciam; Cel. Eck physiologiam; Cel. Schubart toxicologiam; Cel. Casper artem formulas medicas concinnandi cum practicis exercitationibus in officina conjunctam; Ill. Fr. Hufeland pathologiam gene-

ralem, semioticen ac therapiam generalem et specialem; Ill. Horn pathologiam specialem nec non de morbis mentis et syphiliticis; Ill. Osann materiam medicam et de thermis salutaribus; Cel. Kluge artem obstetriciam, chirurgiam generalem, de fracturis ossium et luxationibus nec non artem fascias rite imponendi; Ill. Rust chirurgiam universam et cursum operationum chirurgicarum una cum Cel. Kluge; Ill. de Graefe cursum operationum chirurgicarum; Ill. Hufeland therapiam generalem; Cel. Hecker interpretationem Celsi et Burserii nec non historiam medicinae. Institutionibus et exercitationibus clinicis Ill. Hufeland, Osann, de Graefe, Rust, Neumann et Kluge interfui.

Ultimo hujus quadriennii semestri in nosocomio Caritatis Berolinensis medici inferioris munere simul functus sum et tentamen medicum coram Ill. Link, t. t. Decano absolvi. Sed impeditus inopia, quominus ceteris circa gradum doctoris examinibus satisfacerem, ut statim ad officium chirurgi militaris inferioris transirem, coactus fui. Cui posteaquam per septem annos Regiomontii in legione prima inserviveram, iterum gratia Superiorum et amplissimorum instituti illius Directorum benevolentia occasio mihi facta est, ut Berolinum redirem et conditionibus

nonnullis, tanto temporis spatio enatis satisfaciendo aptus fierem ad continuanda examina, antea interrupta. Itaque ex institutionibus clinicis Illustrissimi et gratiosissimi Bartels nunc commoda repetens, tentamine repetito et examine rigoroso absoluto spero fore, ut consensu et auctoritate gratiosi medicorum ordinis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

---

1. Causam proximam abscessuum metastaticorum venarum inflammationem agnosco.
2. Epicysteotomia ceteris lithotomiae methodis praeferenda.
3. Omnia systemata artificialia natura fugit.
4. Disciplinae medicae magis augendae quam minuendae.
5. Etiam homini inest ceterorum animalium impetus naturalis.
